

SUMMI PRETII
MARGARITAM,
DEUM

A FUNERE REDUCEM,

Theauri instar inæstimabilis,

SOLEMNI PASCHATIS FESTO,

Studioſæ in Athenæo patrio juventuti,

quin imo cunctis ſacri gazophylacii

cultoribus & amaſiis,

mente manuqve porrigit devotâ

M. HENNINGUS WITTE,

Eloq. & Hiſt. P. P.

RIGÆ,

Literis GEORGII MATTH. NÖLLERI.



Otentissimum humanæ gentis
Reparatorem, CHRISTUM, ex ma-
terno prodeuntem utero, ad margari-
tæ è testa extractæ similitudinem, tri-
mestre abhinc, piâ mentis trutinâ ex-
pendimus; nunc Eundem, sub eodem unionis sche-
mate ulterius conabimur contemplari. Candor
inter primas margaritæ virtutes haud immeritò cele-
bratur, qui tamen, si naturæ fidendum arbitris, ob-
fuscatur, inque rubedinem degenerat, quando, ini-
quâ sorte suâ, radiis exponitur solaribus. Quid de
mystica censebimus Margarita, *θεανδρώπων*, qui can-
didâ nuper veste indutus procescit, ut, de vita inno-
centissimè traducta, luculentissimum ederet testimo-
nium? Nonne tum & Ille, turpissimis immixtus
nebulonibus, de divina, quam ab æterno posside-
bat, claritate multùm remisit, & obfuscari visus est,
cùm pretiosum sanguinis sui ruborem, in acerbissi-
ma passione, copiosè satis emitteret? At, die hõc
Paschali, nova iterum lux mundo exoritur, splen-
dor margaritæ natus redit, gravissimæque luctus
recedunt tenebræ, posteaquam concham confregit,
& vitalis prosiluit Margarita, funestò per triduum la-
pide contecta. Adhæc margarita perfectionem, le-
vorem ac venustatem ab arte emendicatam, ceu in

cæteris fieri gemmis assolet, nullam planè admittit, sed ab ipsis statim incunabulis levigata pleneque prodit exulta. Unio, quem heic dilaudamus, ejusdem penitus indolis est, cui nullus unquam ab arte decor venit, virtute utpote suâ è ferali surgens testudine. Margarita, quamdiu intra ostream delitescit, nec hominum exponitur oculis, vix admirationem & encomia in se convertit. Cùm pretiosissima Animæ Margarita, æternus DEI Filius, summæ pulcritudinis suæ radios nostro subduceret conspectui, & à vilissimis quibusvis, Hierosolymitano in prætorio, indignè admodum tractaretur, divina ejus cognosci ægrè potuit dignitas. Verùm, abjectò post sævitæ Judaicæ mortisque squalore, obscuram tumbæ cameram omnipotenti manu reclusit, & quantus ille cœli terræque esset Heros, tum demum cunctis patefecit, & solemnis simam à credentibus venerationem obtinuit. Si justum nancisci valorem debet margarita, & ad usus in vita aptari, necessitas omninò requirit, ut in medio perforetur, ac terebello percutiatur. Teres utique & rotundus noster in passione extitit Servator, ac vulneratus undique fuit, quò maximum à nobis pretium promereret. Margaritâ, Hispaniarum Reginâ, & Philippi III. conjugæ, è vivis exemptâ, Famianus Strada, ad illius nomen alludens, margaritam depingi curavit,

quæ

quæ, aureo inserta annulo, epigraphen tulit: DE-
SERUISSE JUVAT MARE. Non adeò
errabimus, si resurgenti è sepulcro Domino, quod
aurei instar annuli fuit, incomparabilem cœli mar-
garitam complectens, eandem attribuamus gno-
mam, siquidem Theander ille, superatò vitæ hujus
pelagò, ad tranquillum æternitatis & gloriæ cœlestis
portum, denuò transfretavit, ac obstantia mortis
litygisque freta post se longissimè reliquit. Viginti,
& quod paululum excurrit, anni jam effluerunt,
cùm in Insula Ceylon ingens margaritarum institu-
eretur piscatio, & tam ex vapore venenato, qui, ru-
ptis conchis, emergebat, quàm ex ostrearum pu-
tredine, àer graviter inficeretur. Secus autem con-
tigit, cùm margaritarum & totius orbis conditor
ex terræ prodiret visceribus. Etenim virulentus ge-
hennæ vapor, qui universum hoc destruere debe-
ret, tum evanuit, & æther undiqve, suavissimis qua-
si odoribus refectus, saluberrima quævis spirare ce-
pit, quoniam æternæ mortis reos benignus cœli fa-
vor ab infernali reduxit obscuritate. Experimentis
vice plus simplici comprobatum, pulverem mar-
garitæ contusæ præsentissimum ad restaurandas æ-
grotantium vires, esse remedium, adeò ut mori-
bundos & spiritum properantem ægrè trahentes mi-
rè soleat refocillare. Quis, quæso, nisi divinæ Ma-
jestatis

jestatis hostis ignorat, Margaritam omni pretio superiorem, JESUM, quò nemo repertus unquam pulcrior, diris improborum flagellis, & acerbò demum crucis suppliciò fractum & quasi contulum esse? Ille pro certissima omnium nostrarum ægritudinum dolorumque medicina se spontè obtulit, ut nos, variis dilaceratos criminibus, ad integram animæ valetudinem deduceret, veramque recuperaret salutem. Quum Christina, Serenissima Orbis Aquilonaris Imperatrix, regnum æquè ac patriam lineret, Romamque commigraret, fuere inter exteros, qui complurium gemmarum emblemate eandem exornarent, ac præsertim unionem è filo suspensum delinearent. Aderat & Vates, sensum ejus hòc explicans versiculò:

*Dat Christina Tibi pretium nomenque perenne,
& matrem & patriam deseruisse tuam.*

Nos, paucis duntaxat commutatis, de incomparabili, quam & Angelica adorat cohors, Margarita idem pronuntiabimus, eque sepulcrali concha surgentem, sic affabimur:

*Dat nunc Christe Tibi pretium nomenque perenne,
& bustum & mortem deseruisse tuam.*

In Historicorum monumentis Arctoa memoratur Semiramis, Margareta, Valdemari IV. filia, Hacquini

qvini Vidua. Hanc Albertus, Sveciæ Rex, ad bellum ituram, missâ cote, ut aciculas suas cultrosque acueret, falsè irridebat. Impedire tamen haud potuit, qvin ipsum, Norvvegiæ Daniæque inhiantem, vicerit, ac, post septennalem carcerem, regno in super suo cedere coëgerit. Parum hoc, vel nihil, ad decus & gloriam, si Margaritæ nostræ plus quam heroicum reputemus facinus. Recutiti pretium ejus non solùm minimè intelligebant, sed & acerbis scommatibus pessimè illudebant, qvin imò (proh scelus!) pedibus æstimatissimam hancce gemmam conculcabant truculentissimè. Neque stigii ei parcebant prædones, maximè tum exsultantes, cùm Unio uranius in crucis ligno penderet, immensæ passionis atque mortis aceto immersus. At victi penitus, capti, subjugati sunt, ac durissimis constricti vinculis in æternum tenentur, qvi contra stimulum calcitrare, & summo se opponere Numini audebant. Margaritæ non in ripæ superficie, sed ex ipso aquarum fundo colliguntur. Unde qvi pretiosos in mari lapides qværent, non juxta littus sed demittunt, &, ut ita dicam, quasi in ipsos sinus abyssi descendentes assequuntur, quod tantâ exquirunt

runt operâ. Hos imitemur, quicumque funestum,
CHRISTI dejicere lapidem laboramus, quò
animæ Margaritam protrahere inde valeamus. Pre-
tiosa hîc in imo, adeoque maximo cum labore in
altum educenda. Sublimia fidei latent mysteria,
in sacris abscondita literis. Non iis protinus ob-
tingunt, qui solam illarum superficiem otiosè lam-
bunt, sed, ad investigandum fundum, singulari
industriâ incumbunt. Præclarè, ut solet, aurei oris
Doctor, Chrysoſtomus, alicubi scribit: Mysteria
veritatis margaritæ sunt, quia sicut hæ inclusæ coch-
leis, positæ in profundo maris; sic mysteria divina
verbis inclusa, posita sunt in altitudine sensus sa-
cræ Scripturæ. Talia, de resurgente Domino, in
pio fidelium congressu, nunc astatim proponun-
tur. Aperite igitur oculos! extendite manus! ele-
vate corda! Lucida splendescit gemma, cælestis
erumpit margarita, paschalis depluit gratia. Ge-
henna tremit, ob destructoris sui adventum: Ter-
ra gemit, ob thesaurum à se ablatum: Æther gestit,
ob actum à Creatore suo triumphum. Quid homo,
sensu plenus & spiritu? Lapis est, nisi Lapidem hunc
angularem, **CHRISTUM**, funesti sui everso-
reræ lapidis, in nobile mentis palatium religiosâ fi-
de transferat. Hoc facite, ô mei, & valete! Dabam
Rigæ XV. Aprilis, An. clō lōc XXCVIII.